



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 4. Epistola I. S. Cyrilli ad Nestorium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](#)

§. IV.

*Epistola I. S. Cyrilli ad Nestorium.*

Sæculum V.

A. C. 429.

**S**ancto Cyrillo a viris, fide dignis, Ale-  
xandriam pervenientibus, relatum,  
*Epist. I. ad  
Nest.*

quantum Nestorius irasceretur. Aliun-  
de epistolam a S. Cœlestino Papa, &  
multis aliis Episcopis, qui cum eo erant,  
verosimiliter in Concilio congregati ac-  
cepit; certiorem reddebant, Sermonum  
Nestorii exempla ad se perlata, quære-  
bantque, an ipse revera Auctor esset;  
cœterum, quæ continerentur, summope-  
re sibi displicere. Ex omnibus etiam  
Orientis Ecclesiis adveniebant, hac de  
re querentes. S. Cyrillo, his omnibus *Ep. ad Cœ-*  
*compertis, impetus erat, ut, data episto-*  
*la Synodali, Nestorio indicaret, se ultra*  
*cum eo, nisi sermonem, & mentem mu-*  
*taret, communicare non posse. (\*) Sed*  
*animo reflexit, ut ipse dicit, lapsis fratri-*  
*bus manus porrigendas, ut facilius sur-*  
*gerent, statuitque ad eum scribere, ut*  
*ad saniora reducere conaretur. In ea*  
*epistola, quia Nestorium sua potissimum*  
*epistola ad Solitarios offenderat: dicit:*  
*Huic commotioni non mea epistola origi-*  
*nem*

*Ep. ad Nest.*  
c. 6.

(\*) Ex his liquet, S. Cyrillum minime dubi-  
tasse, quin Communio inter Ecclesiam Romanam,  
& Constantinopolitanam subsistat; liquet etiam,  
Interpretem Protestantem contra veritatem Hi-  
storicam scripsisse, quod a tempore S. Joannis  
Chrysostomi schisma non amplius sublatum fuerit.

Sæculum V. nem dedit, sed scripta in vulgus spar-  
A.C. 429. sa, sive te, sive alio Auctore, prodie-  
 rent; hæc tot turbas excitavere, ut re-  
 medium afferre coactus sim. Quæ tibi  
 conquerendi, & contra me declamandi cau-  
 sa sit? tu turbarum istarum Auctor es!  
 satius facies, si sermonem correxeris, scan-  
 dalum omnibus datum tollas, & Sanctam  
 Virginem Dei Matrem appelles. (\*) Cæ-  
 terum ne dubites, me pro fide JEsu Christi  
 carcerem, mortem, omnia, ferre paratis-  
 simum.

Nestorius ad hanc epistolam respon-  
c. 7. dere nolebat; at Presbytero Alexandri-  
 no, cui eam S. Cyrillus ferendam dede-  
 rat, vehementer instante, resistere non  
 potuit. In ea responsione simulata co-  
 mitate de leni violentiæ modo queritur,  
 dicitque deinde: *experientia docebit,*  
c. 14. *quem inde fructum tulerimus; ego quidem*  
*patientiam, & Charitatem fraternalm*  
*conservo, quamvis eandem, ne quid gra-*  
*vius dicam, in me læseris.* Ex hac epi-  
 stola intellexit S. Cyrillus, nullam emen-  
 dationem sperandam, &, quæ deinde al-  
 lata sunt, id ipsum multo clarius demon-  
 strarunt.

§. V.

(\*) Ecce usum antiquissimum Mariam Virgi-  
 nem appellandi Sanctam! Protestantes, imagina-  
 ria pietate in filium ejus injuriosi, omittendam  
 hanc vocem putant.